

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
M.S.
121

M. TULLI
CICERONIS

Magdeburgensis

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
1121

265

Queste lebri di Cicerone sono postillati da
due mani; la serie più numerosa di postille
è di mano del Chirico e Pietro Galland, autore
delle Osservazioni sulle istituzioni di Quintiliano.

A Monsieur Bréal

Ce livre qui est arrivé en Italie de
la France je devine qu'il rentre en
France, en passant par les mains
du philologue français le plus digne
de le posséder.

Angelo De Gabermatij


Florence, 30 octobre 1879.



4

M. T. CICERONIS

EPISTOLA AD OCTAVIVM,
Jacobi Lodoici Rhemi com-
mentariis illustrata.



P A R I S I S ,
Apud Michaëlem Vascosanum, in via quæ est ad
D. Iacobum, sub Font. s signo. Cū priuilegio.

1539.

IACOBVS LODOICVS STRE-
bæus Michaëli Vascofano S.



V V M paucis his diebus Marci Ciceronis Antonianas literario prælo subiicere velles, & in libello nostro locos aliquot manu signatos, & in integrum restitutos esse cognouisses, pro familiaritate nostra petisti, vt & libellum tibi commoda-rem, & quæ breuiter admodum in epistolam ad Octauium sub-notaram, paulo fusiū & copiosius explicarem: Id aliorum cō-mentariis in Philippicas, haud male annexum iri, & fortasse nō nullis vsui futurū. Accessi tuæ voluntati, ne viro liberali & ami-co rem exiguum petēti, viderer parum liberalis & amicus. Hoc quicquid est, tuum esse volo, vt si quid forte boni portet, hanc quoque tibi gratiam debeat lector, qui iam plurimum debet eo nomine, quod in comparandis vndique tertiobus libris, tum græcis, tum latinis, sumptibus nullis pepercisti. Cognoscet quām sit periculose, in Repub. versari, Potentium virorum suscipe-re inimicitias, Arbitrum esse magnarū partium, Ex affectu magis quām ē Rep. dicere sententiam, De pueritia magnum quid-dam polliceri, Ambitiosum extollere, Puero imperium com-mittere, Lœso concredere lœdentem, Ardua capere consilia, quæ viribus exequi nō possis. Sciet etiam magnos honores non vacare magnis periculis, Viris eloquentissimis exitium durum accidisse, vt Demostheni, Hyperidi, Ciceroni. Videbit & illud, quanto sit facilis in tuto philosophari, quām rebus in aduer-sis seruare constantiam. Nam qui multis planum fecerat, in sa-pientem non cadere perturbationem, sic est ipse perturbatus, vt ad extremam senectutem se dementem esse fateretur. Nec in-utile fuerit animaduertere, quanto grauius à vero dolore quām ab arte erumpat affectus. Pauca igitur (vt vis) notabimus, vt inde studia bonorum iuuentur.
Vale.

A R G V M E N T V M.



AE S A R E post receptas Hispanias expeditio-
 nē in Dacos, & inde in Parthos destinante, Octa-
 uius præmissus Apolloniam, studiis vacauit. Utq;
 primū occisum eum, hæredemq; se comperit,
 diu cunctatus an proximas legiones imploraret,
 id quidem consilium ut præceps immaturūmque omisit: cæte-
 rūm vrbe repetita, hæreditatem adiit. Nihil autem conuenien-
 tius ducens, quām necem auunculi vindicare, tuerique acta, ad
 optimates, & ad Ciceronem maxime, se contulit, quibus Anto-
 nium inuisum sentiebat. Veteranos, authore Cicerone, in suum
 ac Reipu. auxilium quanta potuit largitione contraxit. Iussusq;
 comparato exercitu pro prætore esse, & cum Hircio ac Pansa
 qui consulatum suscepserant, D. Bruto opem ferre, demandatum
 bellum tertio mense confecit duobus præliis. Hoc bello quum
 Hircius in acie, Pansa' que pōst ex vulnere, periissent, & cognoscis-
 set Antonium post fugam à Marco Lepido receptum, cæte-
 rōsq; duces & exercitus consentire pro partibus, caussam opti-
 matum sine cunctatione deseruit. Hæc Suetonius. Initia cum
 Antonio & Lepido societate, imperio partito, proscriptionis ta-
 bula confecta, Cicerone morti destinato, iam populo tumultuante,
 præmittuntur equites in vrbum, & paucæ legiones, quæ
 loca ad Quirinalē collem sita occuparent. Trepidabat Senatus,
 cohortibus armatis circunseptus. Decernebat omnia metu. Erat
 in Capitolio signa, in vrbe milites vagabantur, & in cāpo Mar-
 tio castra ponebantur. Tum libertate penè deplorata, scripsit
 hanc epistolam: mox effugit, vt in Macedoniam ad M. Brutum
 transiturus; at in itinere cœsus est. Cætera leges in Plutarcho. Ac-
 cusatio est. Status qualitatis. Genus ardens & patheticum. Præci-
 pua vis eius in affectu & amplificationibus. In hoc epistolæ ge-
 nere nō alia vis artis est, quām in illa forensi accusatione. Quod
 si non missa, sed habita corām fuisset, sicut actio forensis, ita
 & hæc, orationis nomine diceretur: & certe quidem sic nomi-
 nari potest.

M. T. CICERO OCTAVIO S.

S

I per tuas legiones mihi licitū fuisset,
quæ nomini meo, Populoq; Romano
sunt inimicissimæ, venire in Senatū, co-
ramq; de Rep. disputare, fecissem: neq;
tam libenter, q̄ necessario. Nulla enim
remedia quæ vulneribus adhibētur, tam faciunt dolo-
rem, q̄ quæ sunt salutaria. Sed quoniam cohortibus ar-
matis circunseptus Senatus, nihil aliud vere potest de-
cernere, nisi timere: in Capitolio signa sunt, in vrbe mi-
lites vagantur, in Campo castra ponūtur, & Italia tota
legionibus ad libertatē nostram cōscriptis ad seruitu-
tem adductis, equitatuq; exterarum nationū detinetur,
cedā tibi in præsentia foro, curia, & sanctissimis deorū
immortalium templis, in quibus reuiuiscēte iam liber-
tate, deinde rursus oppressa, Senatus nihil consulitur,
timet multa, assentitur omnia. Pōst etiā paulò tempo-
ribus ita postulantibus, cedam Vrbe, quā per me con-
seruatam vt esset libera, in seruitute videre nō potero.
Cedam vita, quæ quanquā sollicita est, tamen si profu-
tura est Reip. bona spe posteritatis me consolatur: qua
sublata, non dubitanter occidam: atq; ita cedam, vt for-
tuna iudicio meo, non animus mihi defuisse videatur.
Illud vero, quod & præsentis doloris est indicium, &
præteritæ iniuriæ testimoniū, & absentiū sensus signi-
ficatio, non prætermittam, quin, quoniam corām id fa-
cere prohibeor, absens prosim. Siquidē mea salus aut
utilis Reipub. est, aut coniuncta certè publicæ saluti.

Nullum

Nullum prætexuit exordium. In cauſa fuit tum ira, quæ frequenter properat ad rem, ut in Catilinaria prima. Tum inutilitas, quoniam inutile sit eum conciliare velle, quem acerbe ut perditum accuses. Initium parat auditorem quasi leuior quædam medela: huic autem extremo malo remedia adhibentur extrema. Itaque ad rem statim venire melius est. Refutationi quoq; non erat locus, neq; contradictioni: quippe sua confirmabat: non autem refutabat aliena. Tres sunt igitur partes orationis huius, Expositio, Confirmatio, Epilogus. Quum autem aliæ sint expositiones ad docendū, aliae magis ad mouendū comparat, non est hæc docēdi cauſa, sed potius ad mouēdos animos, indignitate rei ducta. Operæ premium est igitur excipere de multis id quod necessariū est, atq; simplex ad docendum proponitur. Illud est eiusmodi, Non licet mihi venire in Senatū ad disputandū de Rep. læſa: impedimenta sunt tuæ cohortes. Cedam curia, cedam vrbe, cedam vita, sed iniuriæ testimoniū relinquam. Hæc omnis est summa, quæ ad prudentiā non ad artem referri debet. Reliqua magis spectat artem, cuius est magnus author animi verus dolor. Referatur ad indignationis locos, Indignū esse Senatum Senatoribus esse præclusum, nisi ad libidinem Senatus cōsulta fiat: Legiones inimicas esse bonis ciuibus, & Populo Romano, qui tueri debeat Remp. cuius auspicijs authoratur: Senatū obsideri cohortibus, cui permittēda est prima libertas: eundē pertimere, qui decernere recte nō potest sine tua seueritate: Capituli signis atq; vexillis occupari, ut ex arce impendeat periculū, vnde potius expectari oportuerat auxiliū: In campo Martio extra urbem locari castra, ut quasi sub hoste trepidē ciuitas & comitia: Legiones ad Reip. salutē antē cōscriptas, nunc in eius perniciem cōuerti, ad seruitutem ciuiū adduci: Equitatum Gallicanū iungi: Cedere hominē foro, qui lōgo tempore dominabatur in eo. Cedere eundem curia & templis (vbi quoq; Senatus habebatur) qui salutaribus consilijs olim seruauit Rēpub. Cedere eundē vita, per quē viuūt alij, per quē sperabāt libertatē retinere posse, cuius animū in deploratis rebus prodesse velle intelligat. Hæc omnia sunt ad iniuriā augendā cōparata, ut (quod ait) esset præteritæ iniuriæ testimoniū, & absentiū sensus significatio. Hæc & similia qui viderit, ab arte natu rā, ab affectibus argumēta, facile segregabit. Singulis īmorabitur, ut quā habeat grauitatē, examinare possit. Id optime faciet, qui diligēter inquiret qua quicq; ratione dictū sit. **S I P E R T V A S** legiones.) Per legiones & veteranos patris tui Iulij Cæsarī mihi non licuit in Senatū venire quū ageretur de tuo Cōsulatu & de Rep. Sunt enim nomini meo, id est mihi & me dignitati inimicissimi ve terani, quoniā me Pompeianū, & illarū partii fautorem esse arbitrātur. Inimicissimi quoq; populo Romano, cuius spolijs & prædā, ut iādudum sub C. Cæsare, ditari volūt. Si venissem in Senatū, corā de Rep. disputasse, qui nūc in absentia dico sententiā. Id autem fecisse non animi mei libidine siue cupiditate, sed potius quadā necessitate ductus. Ut enim medici & chirurgi necessitate compulsi vulneribus grauiter vrgētibus, actia quidē sed salutaria adhibēt medicamēta, sic ego nō cupiditate raptus, sed necessitate adductus, acerba quidē vulneri Reip. at salutaria remedia adhibuisse. Consiliū de dissem patribus, ut antē moreretur,

A iii

M. T. C I C. E P I S T O L A

quam seruituris tue iugū subiret. Cohortibus armatis, quæ singulis in legionibus denæ sunt, circūseptus & obsealus est Senatus, ne liberū sit cuiq; quā velit dicere sententiā. Itaq; nō tam decernit (quod eius propriū est) q; timet vim legionū tuarum. In Capitolio summa arce nostrę ciuitatis, signa, vt aquilę, vexilla, dracones sunt, nō secus ac si ab hoste teneatur. In vrbe milites vagātur, qui antea extra vrbe solebat haberi. In cāpo castra ponuntur, non modò vt obsideatur ciuitas, sed etiā vt in comitijs proximis nulla sint honorū libera suffragia, per vim adole-scens creetur Cōsilii, vt maiore potentia optimos quosq; aut occidat, aut turpiter seruire cogat. Italia tota detinetur quasi vinculis implicita, detinetur in quam legionibus ad libertatē nostrā cōscriptis, hoc est delectis, imperfecto Cæsare, quæ Antoniū tyrannū persequeretur. Cōuersē sunt ad nostrā seruitutē cū equitatu exterarū nationū, vt Gallorū. Equites alios duxit Lepidus ē Gallia Comata, alios Antonius ē Togata. Cedā tibi in pr̄sentia, id est pr̄senti violentia, foro: id est nō veniā ad concionem. De iudicio nō hic agitur, sed de loco ad forū in quo cōciones habebātur. Cedā curia, vbi cōsilia publica tractātur. Cedā sanctissimis deorū immortaliū tēplis, hoc est locis augurio cōsecratis, in quibus interim cōsulebatur Senatus: nunc nihil, oppressa libertate, consulitur: paulo antea mortuo Cæsare, & reuiuscēte iā libertate, cōsulebatur, vt ostēditur i Philippicis. Ne sit igitur fallsum, hoc modo dicendū est, In tēplis reuiuscēte libertate cōsulebatur, deinde nihil consulitur. Est enim zeugma. Senatus timet multa à triūiris pericula: assentitur omnia, hoc est pniciosissima quęq; decernere cōpellitur. Post etiā pau- lo, tēporibus, hoc est periculis postulātibus, cedā vrbe, quā per me ab incēdio Catiling conseruatā, in seruitute videre nō potero. Hoc velum fugę prætēdit, sed Antoniū metuit, & dissimulat. Cedā vita, quartus est gradus in amplificationē calamitatis. Cedā foro, cedā curia, cedā vrbe, cedā vita, quæ quanquā sollicita est, plena anxietatis, plena metusvrgētis, ad mortē prop̄sa, excedere parata, tamē si profutura est reip. me cōsolatur, & facit vt viuere velim spe posteritatis, quia spe ro Repu. libertate iterū datū iri. Quod viro turpe sit timere mortem, dissimulāter indicat se quidem velle viuere, nō cupiditate virg, sed nomine Reip. Sensus est, Ego nimiū sollicitus, afferrē mihi manū, ac me interficerē, aut ruerē in militū fer- rū: sed mori volentē, vita me solanur, quia sit profutura Reipub. Nā spes omnis libertatis etiā penē excidit, nō omnino tamen adhuc excidit. Ea sublata ac per-dita, nō dubitatē occidā, aut aliquis me interficiet, aut mihi ipse mortem cōsci- scam. Id quibusdā viri fortis esse videbatur, vltro oppetere mortē. Ne vero per temeritatē eō mali deuenisse dicatur, addit, ita cedā, vt fortuna iudicio meo, non animus mihi defuisse videatur. Sēsus est, Sermo hominū feret, nō animū consi- liūq; mihi defuisse, sed quū recte iudicassem, nō fecutā esse fortunā, à qua recta cōsilia persēpe superantur. Non autem pr̄termittā indicium mei doloris, quin ostendam quantū mihi doleāt mala pr̄sentia: Nō pr̄teritq; iniuriæ testimoniū, quin literis tester & meas & Reip. graues iniurias: Nō absentiū sensus significa-tionē, quin aperiā quid de Rep. quid de perniciosis ciuitib⁹ sentiat absentes. iij sunt boni Senatores inimici Lepido, Antonio, Octavio, qui metu percussi se in fu-gam coniūciunt.

Nam per

Nam per deūm immortalium fidē(nisi forte frustra eos appello, quorum auris atq; animus à nobis abhorret) perq; fortunā Po. Romani, quæ quanquā nobis infesta est, fuit aliquando propitia, &, vt spero, futura est, quis tam expers humanitatis, quis huius vrbis nomini ac sedibus vsque adeo est inimicus, vt ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, nō morte proprium periculum vitet?

Expositus cur in Senatum nō veniat, quo statu sint res, quem prouideat exitū, ad quid hęc scribat. In his seruatus est ordo. Causa cedēdi curia, præcurrat, effe-ctus subsequitur, posterius est vrbe cedere, postremū, relicto iniuriæ testimonio obire mortē. Quod autē cōfirmatio partes expositionis amplius explicare & cōfirmare debet, assumit duas ē narratione partes, quas vehemēter amplificet. Altera demōstrat iniuriā Reip. altera Ciceronis. ex his duabus colligitur Octauium esse plusquā tyrannū, esse plusquā acerrimū hostem. Etenim quia de facto constat, de qualitate facti pauci dubitāt: omnis disputatio confertur ad quantitatē, quāta sit bonis viris & Reip. allata iniuria. In statibus autē qualitas & quantitas vno nomine cōtinētur. In amplificādo quædā more narratīs exponit: nō tamen expositio dicitur aut narratio. Est enim (vt ait in partitionibus) amplificatio, ve-hemens quædā argumētatio: quæ quum res & verba multa exagerat, narratio breuis & densa quibusdā videtur. At eadem vis nō est. nam finis narrationis est cognitio: finis amplificationis est motus, & ratione innexi argumēti, fides. Ad exponēda quæ sequuntur, veile erit intelligere & memoria complecti leges amplificationis. describit eas in oratorijs partitionibus, & Quintilianus in octauo. Amplificāti sumenda sunt verba grauia, plena, sonantia, iuncta, facta, cognomina-ta, non vulgara, superlata, translatā, dissoluta coniunctionum vinculis, relata, iterata, duplicata, gradatim ascendentia. Conglobandæ res, & frequentandæ, in quibus valent contraria, pugnantia, causæ, effecta, similitudines, exempla, & ea quæ natura aut usu magna & grauia videntur. Illuant figuræ plurimum, obtestationes, interrogations, acclamations, prosopopœiae, imprecations, addubitationes, & omnes reliquæ viribus acriores. hęc diligenter obseruanda, vt intelligatur qua vi quōve impetu feratur orator. N A M P E R D E V M I M M O R T A L. F I D E M.) Rationē inuenit iusto dolori, ne sine ratione duces ledere, & iniurias vltro obijcere dicatur. inde transitū facit ad Reip. calamitates, vnde constat innexū esse vinculū, quo vincinentur expositio & confirmatio, & ratio alli-garetur, cur hoc scripti genus reliquisset. Dij immortales vestram fidem apello,

M. T. C I C. E P I S T O L A

nisi forte frustra eos appello, quorū auris atq; animus aliquādo propitius, nunc auersus à nobis abhorret. Preces aurem primū feriūt, deinde animum. hæc duo dixit ex ordine, nō aliter de dijs (quibus veteres attribuebāt corpora) quām de hominibus locutus. Erupit affectu grauissimo, quod etiā ope deorū destitutus esset. Deūm etiā in oratione dicimus, non tantum deorum. id iubet in Oratore. Per deūm fidē obtestari, nihil aliud est quām deos appellare, quorū fide. niti-
mur. Per fortunam po. Romani iuro, quę nobis infesta & nocere parata est, fuit aliquādo propitia, & vt spero, futura est: quod si erit, tollētur improbi tyranni, restituetur antiqua libertas. Fortuna à Romanis credebatur esse dea. Colebatur aris & fanis. Multis vndiq; donis & muneribus augebatur. Omnipotēs epitheto magni Iouis dicebatur. Hic igitur cū superstitione populo inane numē appellat.
Q V I S tā expers humanitatis. id est, sensus humani. quis huius virbis nomini & dignitati vsque adeo est inimicus, vt ista aut dissimulare possit vt inhumanus, aut nō dolere vt inimicus? aut si nulla ratione publicis incōmodis & malis mederi queat, quādoquidē Resp. extremo sit affecta morbo, nō morte propriū periculum viter, aut pugnet ad mortē, aut sibi ipse auferat vitā? Hæc eō tendūt, vt pro-
betur, aut re verboq; resistendū, aut fortuna sāuiente moriendum.

Nam vt ordiar ab initio, & perducam ad extremū, & nouissima conferam primis: quæ non posterior dies acerbior priore, & quæ nō insequens hora antecedēte calamitosior Pop. Rom. illuxit? M. Antonius vir animi maximi (vtinā etiam sapientis consilii fuisset) C. Cæsa-
re fortissime, sed parum feliciter à Reipub. dominatio-
ne semoto, cōcupierat magis regium, quām libera ci-
uitas pati poterat, principatum. Publicā dilapidabat pe-
cuniam, ærarium exhatiebat, minuebat vectigalia, do-
nabat ciuitates, ex commentario Dictaturam gerebat,
leges imponebat, prohibebat Dictatorem creari legi-
bus, Senatuscōsultis ipse repugnabat in Senatu, prouin-
cias vnuus omnes cōcupiebat. Cui sordebat Macedonia
prouincia, quam victor sibi sumperat Cæsar, quid de
hoc sperare aut expectare nos oportebat?

Duabus de cauissis res Antonij cōmemorat, Altera, ne videatur sine magna
cauſa ad imaturos honores Octauū extulisse, qui solus beneficio veteranorū
poterat

poterat libertatis esse vindex. Altera, amplificādi gratia, & quō maior ab Octa-
vio quam à Marco Antonio illata Reipub. videatur iniuria. Hoc indicat his
verbis, Quæ nō posterior dies acerbior priore? & quę nō insequens hora ante-
cedente calamitosior Pop. Romano illuxit? Hæc igitur vis est argumentatio-
nis: Quia M. Antonius concupierat magis regium, quam libera ciuitas pati po-
terat, principatum, extitisti nostrę libertatis vnuſ vindex. Quis ergo te feret gra-
uiorem principatum ambientem, & referētem pro libertate seruitutem? Hono-
res & prēmia tibi data sunt maxima, cur immemor beneficij confundis omnia?
Vtrunq; iniquū, & te facere quod ipse nō modo cōdemnas, sed etiā bello per-
sequeris: & beneficiorum summorum memoriā delere, beneficia maleficijs com-
pēſare. Fons huius argumēti, cauſa duplex, cur venerit, quantū debuerit. Cauſæ
porro, inquit Fabius Quintilianus, non ad conuincendū modo quod obijcitur,
sed ad defendendū quoq; excuti ſolent. Ex contrario ad augendū ſcelus excu-
ti poſſunt. Tractatio eſt in amplificandis belli ſuscipiendi cauſis, in augēdis ho-
noribus, in opponendis effectibus contrarijs, ſeruata incrementi contentionē.
ORDIAR AB INITIO.) Possimus aliunde q̄ ab initio ordiri. vnde Quinti-
lianuſ iudicat melius à Gr̄ecis proœmiū dici, quam à Latinis exordium. NO-
VISSIMA.) Falsus eſt Aulus Gellius, qui ſcripsit capite primo & vicesimo de-
cimi libri, verbo nouiſſimus & nouiſſime, abſtinuſſe Ciceronem, quia non eſſe
latinū iudicaret. HORĀ.) diem censuerat acerbiorem, quod tēporis erat lon-
gioris: vt augeret, addit horam calamitosorem, quoniā plus eſſet in ſingulas ho-
ras incrcere calamitatem. Marcus Antonius vir animi nō illius angusti, abie-
cti, ignauī, minutī, ſed maximī, at insipiētis consilijs fuit. Deerat illi virtus, & vera
fortitudo, nō deerat audax animi magnitudo. Is Cēſare à Caſſio, à Bruto cāte-
riſq; cāſo, & fortiſſime, hoc eſt ſumma virtute fortitudinis, qualem gerūt tyrāni-
cidē, ſed parum ſeſtice, à dominatione & tyrānide ſemoto, cōcupierat regium
principatū populo Romano ſemper inuifum, propterea quōd vna maxime de-
mocratiā probabat. Idē Cōſul in tumultu ciuitatis publicā dilapidauit pecuniā,
Septies millies ſeftertiū ex Opis & de ſuſtulit, redactū ex bonis proſcriptorū. Pe-
cunia dilapidari tum dicitur, quū diſſipatur. verbum ſumptum eſt à lapide in quo
preco in auctionibus p̄adicit. Ea pecunia nō contentus, ærariū exhaufit illud
quod in æde Saturni habebatur. Minuit tributa & vectigalia. Tabulā affixit qua
ciuitates Cretēſium vectigalibus liberabātur. Donauit etiā ciuitates ex cōmen-
tario. nam quū de cretum fuſſet acta Cēſaris rata fore, ſcripsit in cōmentario (quod
vulgo regeſtum nominatur) eorū nomina qui petebant ciuitatem aut Romā, aut
quāuis aliā ad percipiēdas cōmuneis vtilitates expetendam. Tum mētitius eſt il-
los omneis à Cēſare ciuitate donatos. Sic accepta pecunia peregrinis & adue-
nis impleuit optimā quamq; ciuitatem. Dictaturā gessit nō quidem nomine, ſed
ipsa re, quū more Dictatoris vnuſ imperaret omnibus, & iuſſa faceſſere com-
pellerētur omnes. Leges imposuit graues, quaſi pondus humeris, Vnā de preto-
rijs & consularibus prouincijs p̄ter Cēſaris legē prorogandis, Alterā de tertia
Decuria iudicū, vt Cēturiones cū ordine equeſtri & ſenatoriō iudicarēt, Aliā de

M. T. C I C. E P I S T O L A

restituendis exilibus, Aliā de colonia in agro Campano collo cāda. Prohibuit Dictatorē creari legibus. Dictaturā quē vim iam regiç potestatis obsederat, fuditus ex Rep. sustulit, de qua ne sententiç quidē sunt dictę. Scriptū Senatusconsultū quod fieri vellet, attulit: quo recitato, eius studio obsecutus est Senatus, & amplissimis verbis gratias egit. Nō intellexit quō res esset abitura. Postq̄ dominari cœpit Antonius, & ad pacandā Rēp. Dictator necessarius esse visus est, nō licuit aliquē creare legibus, quoad irritum fieret illud Senatusconsultū. Illud est quod Cic. queritur, alioqui nihil esset viti⁹ prohibere Dictatorē creari legibus. Senatuscōsultis ipse repugnauit de chirographis, de libellis, de honoribus Cæsaris, de prouincijs. Prouincias vnum omneis cōcupiuit. Iulius Cæsar sumpserat Macedonia prouinciā, vnde cōmodo de Getas & Parthos adoriri posset: eoq̄ iam legiones p̄miserat. Cæsare interfecto, Antonius Macedoniam ambire cœpit, vt Getis bellū illaturus, quos rumor erat populari Macedoniā. Cupiebat autem inde reuocare legiones in Italiam, quod postea fecit. Statuit itaq̄ spreta Macedonia tanquā viliore prouincia, petere Galliā, vnde Cæsar antē reuersus inuaserat in Rēpublicā. Quum impetrare nō posset, coactis militibus in eam irrupit. Plura leges in Appiano, in Philippicis, in Plutarcho, in Suetonio. Hæc breuiter annotauimus, quia ad rem p̄sentem satis esse videbātur. Ex his rebus dense frequentatis ac membratim expositis efficit hanc summā, Antonium perditū fuisse, tacite significans in hac parte nihil se peccasse, qui Senati populoq̄ Ro. fuerit author huius belli capessendi: magnam Octauiō obsistendi caussam fuisse, nullam mutandæ voluntatis. Hactenus de primo iniuriarum gradu.

Exitisti tu vindex nostræ libertatis, vt tūc quidē, optimus (quod vtinā neq; nostra nos opinio, neq; tua fides sefelliisset) & veteranis in vnum cōductis, & duabus legionibus à pernicie patriæ ad salutem auocatis, subito propè iam affectam ac prostratam Rēpub. tuis opibus extulisti. Quæ tibi nō antē, quām postulares, maiora quām velles, plura quām sperares, detulit Senatus? Dedit fasces, vt cum autoritate defensorem haberet, non vt imperio se aduersum armaret. Appellauit Imperatorem, hostium exercitu pulso tribuens honorem, non vt sua cæde cæsus ille fugiēs exercitus te nominaret Imperatorem. Decreuit in foro statuā, locū in Senatu, summū honore ante tēpus. Si quid aliud est quod dari

dari possit, addat. Quid aliud est maius quod velis sumere? Sin autē supra aetatem, supra consuetudinem, supra etiā mortalitatem tuā tibi sunt omnia tributa, cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficij sui, sceleratē circūscribis Senatum? Quò te misimus, à quibus reuerteris? Cōtra quos armauimus, quibus arma cogitas inferre? A quibus exercitū abducis, & aduersus quos aciem struis? Cur hostis relinquitur, ciuis hostis loco ponitur? Cur castra medio itinere longius aduersariorum castris, & propius urbem mouentur?

Antoniana iniuria ad bellū cōmouit Octaviū. Belli finis ab optimatibus credebatur esse libertas. Sceleratus detorsit in seruitutem. Acerbiorem igitur iniuriā attulit, qui nō modo libertate, sed etiā magna spe subito spoliauit incantos. Vulnus altius adegit, ac repentina malo grauius perturbauit animos. Sit is in male agendo tanto sceleratior, quanto bene agendi fuit illi cauſa maior. Non quia ad militū stipendia patrimonii auctionatus est, & extitit vindex libertatis tum optimus, ideo laudatur: sed cōtrà quia à tali ratione & instituto deflexit, impurus & nefarius ostenditur. Huc accedūt multa Senatus in eum merita, quæ nō ad dominationē, sed ad honorū custodiā accumulata fuerāt. Colligendū est igitur (vt antē dixi) grande scelus admisissé, qui tā graues cauſas nō audierit quū rem per se impiā moliebat, & quę virū bonū nō alijs p̄currentibus cauſis maxime dehortetur. EX T I T I S T I T V &c. Extitisti, è ceteris prodijisti, ac præcipiūs factus es vindex & assertor nostrę libertatis, quā opprimebat Antonius. tū eras optimus liberratis assertor, nūc miserę seruitutis importunus author. Nostranos de te opinio fefellit. Senatores tua fides milī bonisq; ciuibis data, deinde violata, decepit. Veteranos, hoc est exercitatores illos C. Cæfaris milites in colonijs agētes, ad bellū excitasti, coegisti, in vnumq; cōduxisti: duas legiones Martiā & quartā Antoniū securas, & ad perniciē patrię versas, à pernicie & in cōmodo ad salutē auocasti. Nam Antonio relicto, optimatiū cauſam tuendam te duce suscepérūt. Opes & patrimoniū effudisti, & in salutem Reipublicę collocasti, vt extolleret eam propè iam affectā, hoc est, graui vulnere morboq; laborātem, ac ita prostratā, vt ab illo suo statu tota deiecta & humiliata videretur. Ea de re magnificētius Antoniana tertia. C. Cæsar adolescēs penē, p̄tius puer, incredibili ac diuina quadā mente, atq; virtute, tum cum maxime furor arderet Antonij, cumq; à Brundusio crudelis & pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitatibus, nec opinatibus quidē nobis, quia fieri posse non videba-

M. T. CIC. EPISTOLA

tur, firmissimū exercitū inuicto genere veteranoř militū comparauit, patrimoniūq; suū effudit, quanquā nō sumus vñ eo verbo quo decuit, nō enim effudit, sed in salutem Reipublicę collocauit. Cui quanquā gratia referri tanta nō potest quanta debetur, habēda tamen est quantā maximā animi nostri capere possunt. Nec vero de legione Martia sileri potest, quę quū hostem P. Ro. Marcū Antoniū iudicasset, comes eius esse amētię noluit, reliquit Cōsulem, & Albæ conse-
dit. Quarta legio duce Lucio Egnatuleio Questore ciue optimo & fortissimo, Cæsaris autoritatē atq; exercitum persecuta est. Hęc Cicero. Q V AE tibi &c.) Omnia tibi detulit Senatus, magna quidē res est, antequā postulares in celeritate maior est gratia. Maiora quām velles, hęc amplior est liberalitas. Plura quām sperares, hoc omniū maximū, nō modo superasie voluntatē, quę verecundius & parcus explicabat verbo quę sibi dari vellet, sed etiā vicisse spem quę longius extenditur ad omnia quę fieri possunt. Hoc modo quatuor veluti gradibus in altū sustulit quā augere cupiebat Senatus liberalitatē. Genus anteposuit, & uniuersum p̄remiū, vt deueniret ad singulas partes. Quę sunt illa tāta p̄emia? Fasces dedit, appellavit imperatorē, decreuit in foro statuā, locū in Senatu. His verbis Octavius abusus est, & omnē impleuit iniuriā. Eō tendit hęc omnis amplificatio. Dedit Senatus ille fasces, vt Propr̄etor cum autoritate bellū administrarer. Habebat autē Propr̄etores in prouincia sex lictores, ac totidē fasces, quot Pr̄etores in vrbe. Appellavit Imperatorē, qui summus in re militari habeatur honos, & nōnūquā à militibus deferebatur. Suos illi duces fortes atq; gratos salutabat imperatores. Nō sunt omnes copiā duces imperatores. Et hic initio militum ductor, tum demum dictus est imperator, quū hostiū exercitu fuso, & Antonio qui Mutinā obsidebat, repulso, nomē ho c meruisse visus est. Decreuit eidē Senatus in foro, vt in loco celeberrimo, statuā meritorū testimoniu, & eo tēpore nō paruū dignitatis indiciu. Ad hęc faciūt quę scribit in Philippica quinta. Demus, inquit, imperiū Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellū geri non potest, & Propr̄etori eo iure quo qui optimo, qui honos quanquā est magnus illi ætati, tamen ad necessitatē rerū gerendarū, nō solū ad dignitatē valet. Decernendū, Senatui placere, C. Cæsarē, C. filiū, pontificē, Propr̄etorē, Senatorē esse, sentētiāq; loco pr̄etorio dicere, eiusq; honoris rationem, quemcunq; appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret si anno superiore quæstor fuisset. Idem Antoniana decimaquarta. An vero quisquā dubitabit appellare Cæsarē Imperatorē? Aetas eius certe ab hac sententia neminē deterrebit, quandoquidē virtute superauit ætatē. Quęras quid hęc verba significant, vt sua cæde cæsus ille fugiēs exercitus te nominaret imperatorē? Fugiens exercitus Antonij ex parte cæsus est ab Hircio Pansa Cons. à Cæsare Propr̄etore, tum quidē ab hoste cæsus esse videbatur. Quū vero pace facta, cōciliatis ducibus Antonio Lepido Cæsare, coaluissent antē discordes exercitus, tū nō hostili, sed sua cæde cæsos esse dice res, quod omnes quasi Cæsariani ad occupandā libertatē, & viri mortē vindicādā vna mente cōspirassent. SIN AVTEM SVPRA.) Præmia tibi data, supra ætatē adolescentię, supra cōsuetudinem, quę legibus annalibus institutis nititur, nec antē

Nec antē dat honores, quām legitima ætas accreuit: supra tuam mortalitatem, cui non diuini & æterni, sed humani & mortales conueniunt honores. At, inquies, honores antē numerati non superant hominum mortalitatem. Nam fasces habere, Imperatorem nominari, statu & ordine senatorio ornari, mortale quiddam est. Sic equidem opinor. Sed amplificandi ratio recipit hyperbolē, & interdum affectu corripiente animum profilit ultra veritatem. Inuenit igitur aliquid tertium, quod duo grauiter augenti, neque animi vim, neque impetum, neque contentionem satis explebant. Si tibi sunt omnia tributa, cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficij sui sceleratè circumscribis Senatum? Animo ingrato crudelitatem, immemori scelus attribuit, quoniam si memor est beneficij, & hoc contemnit officium, inhumanus & crudelis est. Hominis est cognoscere officia, cognita præstare. Si beneficium oblitus est, sceleratus existimandus, qui relicta virtute deflexit ad vitium. Non hic idem est ingratus, & beneficij immemor. Ingratus agnoscit beneficium, nec quum debet & potest, illud rependit: immemor ne agnoscit quidem. Quod autem illud (sceleratè) refertur aduerbio (crudeliter) non vocandi casus, sed est qualitatis aduerbiū. Circumscribere Senatum, est dolo malo & iniqua fraude decipere. Simile est illud supra. Nostra nos opinio fefellit. Quo te misimus? Ad Antonium bello persequendum, & D. Brutum Mutinæ obfessum liberandum. A quibus reuenteris? Non ab ijs ad quos eram missus, sed missus ad bonos ciues, reuertor à pestibus Reipublicæ. Contra quos armavimus te? Contra euersores patriæ. Quibus arma cogitas inferre? Optimatibus, & de Republica bene sentientibus. A quibus exercitum abducis? Ab ijs qui volebāt restituere libertatem ab Iulio Cæsare ereptam. Aduersus quos aciem instruis? Aduersus eos qui nomine recuperanda Reipub. multis me honoribus accumulauerunt. Cur hostis relinquitur Antonius? Quia factus est amicus nundinatione Reipu. Cur ciuis hostis loco, id est, pro hoste ponitur? Non habeo caussam nisi forte sceleris. Cur castra medio itinere longius aduersariorum castris, & propius urbem mouentur? Quia proditis amicis arma infero patriæ. Aliter responderet Octavius: at Cicero talia quædam intelligi voluit. Oratio est ardens, membratim composita, ut aurem crebro feriat, interrogationibus excitata, paribus relatis & antithesis ornata, nec vlla aut acrior aut melior inueniri potest.

O me nunq̄ sapientem, & aliquando id quod non eram, frustra existimatū. Quātum te popule Romane de me fefellit opinio? O meā calamitosam ac præcipitem senectutē. O turpem exacta dementiō, ætate caniciem. Ego Patres Conscriptos ad parricidium induxi, ego Remp. fefelli, ego ipse Senatum sibi manus afferre

M. T. CIC. EPISTOLA

coëgi, cum te Iunonium puerum, & matris tuæ partū aureum esse dixi . At te fata patriæ Paridem futurum prædicabant, qui vastares vrbem incendio, Italiam bello: qui castra in templis deorum immortalium, Senatum in castris habiturus essem . O miseram & in breuitatem celerem & tam variam Reipub. commutationē.

Posteaquam Antonij personam tractauit & Octauij, ad suam ipse peruenit. Antonius iustum belli caussam attulit. Cicero de Octauio bene meritus, illum in officio iure suo continere debuit. Sceleratus igitur is qui ab iusta caussa motus, rem ad iniquum verit effectum. Crudelis idem, & nimium ingratus, qui vi rum de se bene meritum eō deduxit calamitatis , vt indigna de se fateri cog eretur. Sic se ipse accusat, vt in illum culpam omnem reijsiat. sic agit in persona suam, vt miserabile sit, hominem spe deceptum, pro summo beneficio summum maleficium recepisse. In his tribus est ordo. Caussa belli ante cessit, bellum de inde versum est in Remp. tum cœpit accusari qui belli suscipiēdi fuerat author. Agnoscit ille culpam cum tanta miseratione, vt plus inde assequatur, quam si factum ratione defendisset. Hinc ille infra Sit erranti medicina confessio. O me nunquam sapientem. Vera loquitur Stoicorum sententia, quam probat in Tusculanis. Perturbatio in sapientem non cadit, nec affectus ille vitiosus, quo mens ab arce detruditur. Hunc autem neque in prosperis rebus, neque in aduersis tenuisse constantiam, tum authoritates hominum maximorum, tum ipsius monumenta declarant. Rara avis est homo sapiens, aut potius hoc in orbe nulla. O me nunquam sapientem, quia sapiens non fallitur, non errat, non labitur, non habet incerta pro certis, non dicit Non putaram, non ducitur pœnitentia: quæ milii nunc omnia acciderunt. O me aliquando, id quod non eram, frustra existimat. Interfecto Cæsare vnu omnia regebam, Senatum populumq; Ro. ad arbitrium flectebam, penes me erat res, tum videbar plerisque sapiens, non eram autem. Aliquando igitur, hoc est illo aliquo tempore frustra existimatus sum sapiens, id quod non eram. Itaque populum Rom. de me fefellit opinio. Ille me sapientem existimabat, at vt M. Brutus & alij plerique censebant, in extollendo fatali puerò eram stultus ac insapiens. Popule dixit in casu vocandi, & verius est quam populus, etsi admittitur vtrungq;. O meam calamitosam ac præcipitem senectutem. Calamitatis est miseratio, est etiam senectutis, & maxime cadentis in præceps. In calamitate miseria intelligitur, in præcipiti consilij temeritas, quo quidem grauior est accusatio. Omnium enim ætatū senectus debet esse prudentissima: quare suam calamitosam, turpem, dementemque clamat: sed venia dignam vult haberi, quæ sit opinione boni decepta, culpam tanti mali in aliud deriuari. O turpem caniciem. Per caniciem accipimus senectutem, sed id verbi antè dixerat, immorari volebat, aliud simile querere co gebatur.

gebatur. Addidit tertium, & tam exactam, id est extremam senectutem, eo de-
mentem, quod à mente & ratione deiecta deuenit in errorem. Tria sunt ferè
virtutis eiusdem. Utile est autem in amplificationibus assumere synonyma, &
binis aut ternis ferire membris, quod aliquoties iam supra fecit. Ego Patres
Conscriptos ad parricidium induxi, mea sententia & autoritate Senatores im-
puli, ut puero decernerent imperium, qui patriam parentem & quasi matrem
perderet. Est parricidium matri, sicut & patris. verbum quæsumus ad augendum
crimen. Parricidium sane omnium grauissimum est. Patres inducit his verbis
Antoniana quinta, Omnes habeo cognitos sensus adolescentis, nihil est illi
Repti, charius, nihil vestra autoritate grauius, nihil bonorum virorum iudicio
aptius, nihil vera gloria dulcius. Audebo etiam obligare fidem meam P.C. vo-
bis, populōque Romano: quod profecto quum me nulla vis cogeret, facere
non auderem, pertimesceremque in re maxima periculosam opinionem teme-
ritatis. Promitto, recipio, spondeo P.C. Caium Cæsarem talem semper fore ci-
uem, qualis hodie sit, qualémque eum maxime velle esse & optare debemus.
Quis homo prudens non dicat hæc esse verba dementis? Nimium verum est
illud antiquum, Sponsioni non deesse iacturam. Quantum prioribus posterio-
ra dissident? quam sunt omnia retro mutata? quam vana fuit verbis affirmata
sponsio? Nunc aliter, Ego Rempu. fefelli, ego ipse Senatum sibi manus afferre
coëgi. Suasi ut Antonium hostem patriæ iudicaret, à quo non ita multo post
interficietur Senatus. Hoc ille decernendo, quodammodo sibi manum affere-
bat, hoc est mortem sibi consiccebat. Te Iunonium puerum, & matris tuæ par-
tum aureum esse dixi. Plutarchus in vita M. Ciceronis hoc eius refert sommiū.
Per quietem videtur videbatur pueros multos adstare Ioui Capitolino. Iupiter
vnum ex omnibus maxime intuens inquit, Hic princeps factus bellis ciuilibus
modum imponet. Cicero qui puerum nō cognosceret, eius effigiem impressit
animo, quumque venisset in campum Martium, ubi ludis exercebantur pueri,
eum quem viderat in somno puerum agnouit: quinam esset rogauit, ac didicit.
Hoc somnio commotus, dixit hunc puerum Iunonium, quem nascentem Juno
Lucina videbatur adoptasse, & magnis honoribus destinasse, quo duce com-
positis ciuilibus bellis aureum seculum futurū esset. Talia quædam cecinit Vir-
gilius, nec desunt qui referant ad hunc Octauium, Iam noua progenies calo-
demittitur alto. Casta faue Lucina. Hoc duce siqua manent sceleris vestigia no-
stri, Irrita perpetua soluent formidine terras. Mater Augusti Accia, Balbo & Iu-
lia sorore C. Cæsar's genita, ab Antonio vilipendebatur ut obscurō genere
nata. Te fata patriæ Paridem futurum prædicabant. Quemadmodum Hecuba
somniauit se parere facem, sic ego somniaui te dominatum ire. Paris Troiam
incendio vastauit, Phrygiam bello perdidit, Religiones suorum aboleuit. Non
aliter & tu vastare vis urbē, si non ignis, at certe seditionis incendio. Italiā bel-
lo perdis, Religiones polluis. Habes castra in templis, quæ semper habeban-
tur in locis profanis. Habes Senatum in castris, qui semper habebatur in locis
sacris, & procul ab armis. Moris erat in seditionibus occupare militibus tēpla

M. T. C I C. E P I S T O L A

& ædes, ut inde fierent eruptiones, si forte res exigeret, ut è gradibus pugnaretur, ut hoc præsidio aduersarij cohiberentur. Id de more fecit Cæsar: quam obrem obiicit Cicero in templis habere castra, eò cogere Senatū, ut metu præsidij assentiatur omnia. Quod autem paulò antea rumor erat, Rempu. Antonij metu liberatam, in pristinum libertatis statum restitutam, dicit eam esse miserā, quæ breui tempore, ideoque grauiore malo, quia repentina, profligata est.

Quisnam tali futurus ingenio est, qui possit hæc ita mandare literis, ut facta, non ficta videantur esse? Quis erit tanta animi facilitate, qui quæ verissime memoria propagata fuerint, non fabulæ similia sit existimaturus? Cogita enim Antonium hostem iudicatum, ab eo circunfessum Conf. Def. eundemq; Reip. parentem: te profectum ad Conf. liberandum, & hostem opprimendum: hostemq; à te fugatum, & Conf. obsidione liberatum: deinde paulò post fugatum illum, hostem accersitum tanquam cohæredem mortua Repub. ad bona P.R. capienda. Conf. Def. rursum inclusum eò, vbi se non mœnibus, sed fluminibus & montibus tueretur. Hæc quis conabitur exponere? quis credere audebit?

Duo superiores loci ea suggestunt argumenta, quibus Octauij iniuria monstratur, qui inimicum saluum fecit, amicum & alterū patrem perdidit: qui profectus ad bellum de patriæ libertate, rediit ad patriæ seruitutem. Auget illam inconstantiam & iniuriam comparatione facta priorum posteriorūmque, & superiorem implet locum. Nam planum fecit iniuriam illatam quammaximā, addit gradum, illam neque esse explicabilem, neque cuiquam credibilem.

Quisnam tali tamque acuto futurus est ingenio (quod ad res explicandas & illustrandas experendum est) qui possit hæc ita mandare literis, hoc est in historiam redigere, ut facta non ficta esse videantur. Hæc duo verba facta, ficta, una modo litera distant, nec erant habitura gratiam si in re tam tristi venustatem à profonomasia quæsisset. illa sponte fluxerunt. vacant igitur suspicione quæsitæ voluptatis, & aptius cohærent, quam hæc duo, facta, non excogitata. Quis erit tanra animi facilitate) hoc est tam facilis, tam propensus ad credendum, tam cœdulus, qui non fabulæ similia sit existimaturus ea quæ verissime memoria

memoria propagata,id est historiæ monumento posteris tradita fuerint: Cogita enim Antonium hostem iudicatum posteaquam sanguine ciuum gladij imbuti sunt ad Mutinam, de quo plura Philippica decimaquarta. Cogita ab eo cir cuncessum Mutinæ consulem designatum D. Brutum, eundemque Reipu. parentem. Nominantur Patres patriæ, qui ciues & Rempu. ab exilio aut seruinitate liberant, ut Cicero, ut hic D. Brutus, ut postea Augustus. Sicut enim conditores vrbium sunt quasi parentes, ita seruatores earum, parentes: nec minus est bene seruare & augere conditas, quam nouas posteritati condere. Parens igitur D. Brutus, quia liberandæ patriæ cauſa tyrannum interemit. In quo grauiter peccat Antonius, ut videtur, qui non priuatum obsidet, sed Consulem designatum: qui non abiectum ciuem, sed patriæ parentem armis appetit. Ad eum librandum profectus est Octavius, ad Antonium declaratum hostem opprimendum. Hostem istum fugauit, Consulem obsidione liberauit. Postquam intellectus M. Antonium à Lepido receptum, qui tum copias in Gallia Comata ducebat, coiuit societatem. tres qui dicti sunt, Triumviri, velut cohæredes partiti sunt inter se bona populi Romani, non aliter ac si mater & ciuiū parens Resp. mortua esset. Pauci liberi de multis bona sibi diriperent, fratres suos aut neccarent, aut bonis omnibus euerterent. D. Brutus qui ab Octavio non erat admisus ad colloquium, ut patris eius interfector, vbi cognoui iniri societatem, suas legiones fluminibus ac montibus, quod difficilis erat accessus, inclusit. Postea ab omnibus relictus, à latronibus captus, ad Camillum Galliae præsidem ductus, tandem ab eo interfactus est. Habet illam in breui celerem & variam rerum cōmutationem: quam hoc iudice arduum sit pro rei grauitate exponere, quam difficile sit hominem à scelere abhorrentem credere. Exposita quidem est, & credita, nec illis moribus res erat difficilis: sed hic amplificationi magis quam veritati concessit ars.

Liceat semel impune peccasse: sit erranti medicina confessio. Verum enim dicam, utinā te potius Antoni dominum nō expulsemus, quam hunc reciperemus: non quod vlla sit optanda seruitus: sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna serui. In duobus autem malis cum fugiendum maius sit, leuius est eligendum. Ille tamen ea exorabat, quæ volebat auferre: tu extorques. Ille Consul prouinciam petebat: tu priuatius concipiuiti. Ille ad malorum salutem iudicia cōstituebat, & leges ferebat: tu ad perniciē optimorum. Ille à sanguine & incendio seruorum Capitolium tue-

M. T. C I C. E P I S T O L A

batur : tu crux & flamma cuncta delere vis . Si qui dabat prouincias Cassio & Brutis , & illis custodibus nominis nostri, regnabat: quid faciet, qui vitam adimit? Qui ex urbe eiiciebat, Tyrannus erat: quem hunc vocemus, qui ne locum quidem reliquit exilio?

Antonium & Octauium comparat, ut in collatione crudelitatis & sceleris Octavius multo deterior esse videatur . In statu qualitatis plurimum valet hoc comparandi genus : in quo non modo quale, sed etiam quantum sit factum ostenditur . In eo non solum vniuersa est comparatio , sed etiam partes partibus latius explicandi caussa conferuntur . Dicturus autem, Vtinam Antonium non expulsemus , turpem confessionem præparacione reddit minus fœdam . Liceat, inquit, semel impune peccasse . Nemo tam iustus est aut sapiens, qui non aliquando peccet . Prima culpa videri potest venia digna: secunda grauior est: tertia, & reliquæ deinceps , sicut priori malo faciunt accessionem , ita quoque pro suo gradu luant pœnam . Sit primum erranti medicina confessio, hoc est, qui semel peccauit, & cum dolore culpam confessus est, adhibuit remedium morbo, nec alia eget correctione . Si peccauit igitur in expellendo Antonio, vult semel in Rempub . esse peccatum . Fataetur, sit erranti medicina confessio . Caussas antè positas contemplanti non videbitur aliquid peccasse . Euentum rei tantum consideranti, species temeritatis apparebit . Ergo dubie agit caussam . Ad illius iustitiam præponit malefacta M. Antonij, ad commiserationem fateatur culpam, qua vacare non potest, si certior spectandus est exitus . Adde quod aliam defensionem vix admittant ciues miseris modis perturbati, & huius consilijs afflicti & perdit . Præterea bonum fuit, amoliri reprehensionem eorum qui & factorum & dictorum obiecissent huic inconstantiam . Verum dicam, inquit, hoc est, rem veram confitebor . Vtinam te potius Antoni dominum non expulsemus, quam hunc recipemus . Dominum ciuium contulit cum domino seruorum . Correxit optationem . Nulla est optanda seruitus, quia sicuti summum precium est libertas , ita seruitus est summa humilitas . Si seruire necesse est, dignitate domini minus turpis est fortuna serui . Nam seruus meliore fortuna videtur, cuius dominus amplitudine & dignitate conspicuus excellit . Antonius genere & rebus gestis erat dignior . Minus igitur erat turpe illi quam tibi seruire . In duobus malis fugiendum maius est . Si de vobis alterum regnare erat necesse, vtinam te peiorem turpiorēmque fugissemus . Hactenus est præratio, & genus vniuersum . Subiit eis partes . Ille tamē ea exorabat, verbis aut precibus imperabat quæ volebat auferre, ut legum lationem, immunitatum donationem, restitutionem exulum, prouincias, & id genus multa . Tu non exoras id quod cupis, sed extorques , vt Consulatum, vt Senatus consulta . Ille consul prouinciam petebat, primum Macedoniam, deinde Galliam : Tu priuanus cōcupisti,

cupisti. Ius erat Consuli, non tibi priuato. Ille ad malorum salutem, hoc est ad seruandos sicarios, grassatores, adulteros, mimos, aleatores, iudicia constituebat, ferebatque legem de terria decuria Iudicium Centurionum, ut si quem reum factum seruare vellet, illorum obsequio seruaret, quos dignitate adorasset. Tu ad perniciem optimorum leges ferre vis, & iudicia constituere, qui iam Centuriones mittis in urbem, qui tibi nomine exercitus perant consulatum, cunctantem Senatum minis exterrant. Ille à sanguine & incendio seruorum capitolium tuebatur. Caius Amatus humillimæ sortis homo, prioris Marij filium se falso prædicabat: quimque ob hanc simulationem Caij Cæsar is putaretur affinis, fugitiuos & plebem ad res nouas solicitabat. Senatu cædem minabatur, & interfectoribus Cæsar is, qui fugerant in capitolium, gladium & ignem afferre contendebat. Exortus est rumor, hunc Amatum Antonio quoq; insidias moliri: qua re motus Antonius Amatum cepit, vncum impedit, & indicta caussa perdidit. De hoc homine Philippica prima. Liberatus cædis periculo paucis post diebus Senatus. Vncus impactus est fugitiuo illi, qui in Caij Marij nomen inuaserat. Tu crux & flamma cuncta delere vis. Crux sanguini, flammæ igni refert. de cruce vera loquitur, de flammæ non item. Acerbiora timet, quam quæ postea admisit Octavius. Ille dabant provincias Cassio, M. & D. Brutis, & custodibus nominis nostri, ut Trebonio, Tullio, Cimbro. Syriam Cassius, Macedoniam M. Brutus, Galliam D. Brutus, Asiam quæ circa Ioniam est, Trebonius, Bithyniam Tullius & Cimber obtinuerunt. Has provincias non dat Antonius, sed tamen dare nunc dicitur, quia illo consule referente, à Senatu decernuntur. Hoc modo provincias dabant, & regnabat, hoc est tyrannidem exercebat: quid faciet Octavius, qui vitam adimit interfectoribus patris, & eorum fautoribus? Antonius qui tyrannicas ex urbe ejiciebat, ut duos Brutos, ut eorum socios, tyrannus erat. Tu ne locum quidem reliquisti exilio, qui iam bellum geris cum D. Bruto, & alijs electis, & propemodum exulantibus. Tu es igitur plusquam tyrannus. Haec enim est comparatio amplificatione insignis, & magna prædita virtute.

Itaque si quid illæ maiorum nostrorum sepultæ reliquæ sapiunt, si non vñà cum corpore sensus omnis uno atque eodem consumptus est igni, quid illis interrogatibus quid agat nunc Pop. Romanus, respōdebit aliquis nostrū, qui proximus in illam æternam domū discesserit? aut quē accipient de suis posteris nuncium illi veteres Aphricani, Maximi, Pauli, Scipiones? quid de sua patria audient, quā spoliis triumphisq; decora-

M. T. C I C. E P I S T O L A

runt?an esse quēdam annos quatuordecim natū, cuius
auus fuerit argentarius, adstipulator pater, vterq; verō
precarium fecerit quæstum, sed alter vsq; ad senectutē,
vt non negaret, alter à pueritia, vt non posset non cō-
fiteri, eū agere, rapere Remp? cui nulla virtus, nullæ bel-
lo subactæ & ad imperium adiunctæ prouinciæ, nulla
dignitas maiorū conciliasset opem potentiu, sed forma
per dēdecus pecuniā & nomen nobile conseleratum
impudicitiæ dedisset: veteres vulneribus & ætate con-
fectos Julianos gladiatores, egenteis reliquias Cæsaris
Iudi ad rudem cōpulisset, quibus ille septus omnia mi-
sceret, nulli parceret, sibi viueret: qui tanquā in dotali
matrimonio Remp. testamēto legatam sibi obtineret?
Audient duo Decū seruire eos ciueis, qui vt hostibus
imperarent, victoriæ se deuouerunt. Audiet C. Marius
impudico domino parere nos, qui ne militē quidē ha-
bere voluit nisi pudicum. Audiet Brutus eum populū,
quē ipse primò, pōst progenies eius à regibus liberauit,
pro turpi stupro datum in seruitutem. Quæ quidem si
nullo alio, me tamen internuncio ad illos celeriter de-
ferentur. Nam si viuus ista subterfugere non potero,
vnācum istis vitam simul fugere decreui. Vale.

Hæc peroratio est, quæ crimen repetitione auget, omnium etiam mortuo-
rum indignationem mouet, authori criminis perpetuam ignominiam & æter-
num supplicium fore concludit. Duæ sunt partes eius, repetitio, & indignatio:
sed (vi plerunq; sit) simul concurrunt, quod à rebus ipsis de quibus agitur, solet
etiam moueri indignatio. Mortui celebres memorantur quorū Pop. Romano
videbatur sacra & obseruanda maiestas. Hi quondam gubernarunt Rempu. li-
bertatem imperij seruarunt, florentem ciuitatem reliquerūt. verisimile est laturos
ægre indignum pueri factum, qui quod publicum peperere maiores, in sua
priuata commoda auertat. Dubitat autem Cicero, an viuant animi eorum, quos
vivere

viuere affirmauerat libro de senectute, de somnio Scipionis, Tusculana prima. Vider permultos ab ea sententia Pythagoræ & Platonis abhorrere, ut Epicureos omnes, ut Aristoxenum, ut Dicæarchum. Hi mortalem animum arbitratur, & suas habent sectas. Nec mirum si dubitat tot opinonibus distractus, quū hodie reperiantur in Italia, & alijs in gentibus, qui statuant animorum mortalitatem. Si quid, inquit, ille maiorū nostrorū sepultæ reliquie sapient, ut sapere vulgo dicuntur ab ihs qui animos in sepulcris esse autumant, cibos ferunt in Februis, flores spargunt, sepulcræ venerantur, sanguine satiant animos, si non vna cum corpore sensus omnis qui ab animo est, aut est animus ipse sentiens, uno atq; eodem consumptus est igni & rogo, quid illis respondebit aliquis nostrum, qui proximus, id est primus ab illis in illam æternā domum discesserit? Non arbitratur, quod vulgas, animū diu manere ad reliquias sepultas, sed leuem esse, sursum tolli more leuium rerū, per lineam rectam petere cœlum, illic permanere in contemplatione rerum omnium. Hanc domum dicit æternā. In eam sententiam plura leges Tusculana prima. Quem accipient de suis posteris, & de Octauiano seculo nūcium veteres illi gubernatores Reipu. Africani, Maximi, Pauli, Scipiones. Tristem certe nuncium accipient. E multis Scipionibus quatuor maxime nominantur. Duo Publius & Cneus fratres militum duces, in Hispania magna cum laude perierunt. Hos vocat hic Cicero Scipiones, Virgilius duo fulmina belli. Duo Africani nominati, P. Cornelius maior Africanus Carthaginem cepit, Africam tributariam fecit. Minor Aemilianus Numantiam & Carthaginem euerit. Maximi & Pauli dicuntur pluraliter honesto quodā genere loquendi, vnu tamē præcipue intelligitur Quintus Fabius Maximus, qui cunctando fregit Annibalem. vnu Paulus Aemilius, qui Persen Macedoniæ regem superatū egit in triūphum. Pluralitas efficit ut persimiles alios habeamus in eodē numero. Hi quanto ampliores sunt, quanto magis de Repub. desudarunt, tanto grauius ferre debere videntur hanc iniuriam, & impium ciuem (si quid possunt) pœna afficere. Mouebit ætas immatura, mouebit obscurū genus, mouebit indignitas & inopia rerum gestarum, mouebit potentia per impudicitiam comparata, mouebit impurus miles, mouebit facti atrocitas. Sunt iste ~~mēsāces~~, vnde crescit amplificatio. Octavius agebat annū vigesimum quum scripsit hæc Cicero. Testis est Suetonius. Consulatum, inquit, vigesimo ætatis anno inuasit, admotis hostiliter ad urbem legionibus. Idem ostendit ratio temporis. Natus est M. T. Cicerone & Antonio Consulibus nono Calendas Octobris. Consulatum gessit Hircio & Pansa prælio imperfectis. A Consulatu Ciceronis ad exitū Hircij & Pansē anni viginti numerantur per Consules. Cicero in Philippicis agens in Antoniū, annos viginti numerat à suo Consulatu. Codices alij. xiiij. alij. xxij. notant annos. Aut igitur errore lapsus est Cicero, quod non facile credo, aut imminuit ætatem, aut numerus est corruptus, ut in pluricq; eiusdem orationibus, quoniā in legendis veterū notis posteriores hallucinati sunt. Auus Augusti, inquit Suetonius, municipalibus magisterijs contentus, abundante patrimonio tranquillissime servuit. Marcus Antonius exprobrat auum argentarium. Pater à principio ætatis, &

M. T. C I C. E P I S T O L A

te & estimatione magna fuit, ut equidem mirer hunc quoq; à nonnullis argē-
tarium, atque etiam inter diuisores operasq; campestres proditum. Hęc ille. Du-
biū fuit igitur an aius argentarius, & pater adstipulator fuerit in municipijs.
Illum maledici dissipauerant rumorem, vt Cassius Parmensis, qui scripsit Augu-
stum esse pistoris & numularij nepotem. Cicero qui genus Octauij laudauerat
Antoniana tertia, nunc iratus rumores sequitur. Veritabile est & aium & patrē
equites perdiuites, patrem etiam postea Senatorem, aliquādo sordidos & quæ-
stus audios fuisse, versatos esse inter argentarios & adstipulatores, præ se tulisse
ramen honestius & magis liberale viuendi genus. Argentarij sunt trapezitæ &
numularij maiores, qui priuatā & publicam fœnoribus exercēt pecuniam, ac ra-
tiones conficiunt. Adstipulatores sunt qui per interrogationem obligant pro-
missorem. Est enim adstipulari, nunc cōsenire, nunc interrogare vel interroga-
ri. Adhibetur hi stipulationibus, & operæ campestri, quum pecuniam candidati
promittunt. In eorum locum successerunt qui notarij nominantur. Quod eorum
vita versatur in quaestu parum liberali, sordida & illiberabilis habetur, vt fœne-
ratorum. Adstipulatores Vitellius imperator occidit. Sueto. Fœneratorum & sti-
pulatorum publicanorumq; qui vñquam se aut Romæ debitum, aut in via por-
toriū flagitassent, vix vili pepercit. Precarius quaestus, qui nō tam est in potesta-
te facientis quæstū, quām in illius vnde petitur quæstus. At tum sit, quum petenti
fieri permittitur. Id quia humile & sordidū est, ponit ad cōtemptum. Aius con-
fessuit, pater ante senectutem decedens ē Macedonia, morte obiit repentina.
Alter igitur aius usque ad senectutem si fuisset argentarius, nō negaret se fuisse
quod omnibus notum esset. Alter pater n̄ adstipulator fuisset à pueritia ad me-
diā ætatem & ad mortem, id quoque negare non posset. hoc modo cōfirma-
re conatur id quod dubiū esse intelligebat.) C V I nulla virtus.) Virtutem ado-
lescentis nuper ferebat ad cœlum, incredibilem diuinamq; prædicabat, nunc ve-
ro nullam esse dicit. Mutati sunt mores, mutatur & gloria. Non virtus est quæ
inuadit in patriam, sed impium latrocinium. Sit igitur aliqua virtus, id est facultas
bellica, nulla vera virtus atque sapientia.) N V L L A E ad imperium adiunctæ
prouinciae.) Adiunguntur prouinciae, quum victæ imperium Popu. Romani fe-
runt, magistratum admittunt, vettigalia attribuunt. Sic pater huius Cæsar impe-
rio Galliæ partem addidit: hic autem nullam subegit prouinciam ante bellum
ciuale. Ordo rerum exigit, vt antè bello subigantur, q; ad imperium adiungan-
tur.) N V L L A dignitas maiorum.) Gens Octauiorum à Tarquinio Prisco re-
ge allecta in Senatum, mox à Seruio Tullio in patricias gentes traducta, proce-
dente tempore ad plebem se contulit. Rursus magna vi per Iulium Cæsarem in
Patriciatum rediit. Deinde alij in ordine Senatorio manerunt Octauij, alij in
ordine Equestri constiterunt. Fuit igitur aliqua maiorum dignitas, vt Patricia &
Equestris, sed illa non magnam conciliauit opem potentium, vt C. Cæsar, Hir-
cij, & aliorum principū, sed potius aut forma, aut sanguinis propinquitas. Fama
erat hunc puerum à Julio Cæsare & Aulo Hircio constupratum, nec defuerunt
qui flagitium obiicerēt, Sextus Pompeius, & M. Antonius, quos secutus Cicero,
Forma,

Forma, inquit, & teneræ ætatis pulchritudo per de decus & stuprū tibi dedit pecunia trecenta milia nummū ab Aulo Hircio, & nobile nomen Cæsar ex adoratione, sed cōsceleratū, id est, cum scelere iunctū impudicitiae. **I V L I A N O S** gladiatores.) Julius Cæsar alios habuit gladiatores in ludo instituēdos per lanistas, alios apud equites & Senatores amicos, alios ex arena rapi seruariq; iusserit: quos omneis nō tā significat hic Tullius, quām Veteranos omneis, qui multis in prælijs versati, vulneribus & ætate propè confecti, quiescebant in colonijs, initio donis diuites, mox egētes. Gladiatores nominat, quod sint audaces, & venalē sanguinē effundere parati. Reliqui facti sunt ē Cæsar's ludo, hoc est exercitu nefario & cruento, qui nō aliter irruptit in Républicā, quām gladiatores illi quos Spartacus in patriam coegerat. Veterani rudiarij, & quasi rude donati, hoc est emeriti, nunc compelluntur ad rudem: quomodo inquietes, excitantur ad bellum, non ad rudem? Sic res habet, rudiarij reuocantur ad certamen, pecuniae authoramento, non aliter quām gladiatores quidam emeriti à Tiberio reuocati sunt in arenam. Sed quia rudem virgamicq; signum missionis quodammodo resumunt, ad rudem cōpelli videntur, in hunc sensum, vulneribus & ætate cōfēcti, nō tam arma ferre possunt, (etsi arma ferūt) q; rudē illā gerere qua donati sunt, ne postea pugnarēt. Pugnat, & id habēt, quod nō esse pugnādū significat. Dicturus erat, ad arma cōpulit: maluit, ad rudem cōpulit, hoc est, emeritos & quietos abuti rude sua cōpulit. Omnia miscere, est omnia cōfuso ordine turbare. Viuere sibi, in rem suam priuatam omnia conuertere, bonum publicum negligere. **I N D O T A L I M A T R I M O N I O.**) Julius Cæsar Octauium in familiam & nomen adoptauit, eundem testamento scripsit h̄eredem ex doctrina. Visus est puero non bona modo, sed etiam Rem publicam legare, cui dabat exemplum & facultatem occupandæ Reipublicæ. Obtinuit eam hæres quasi testamēto legatam, quæ iure nec alienari nec legari potest. Obtinuit, inquam, tanquam in dotali matrimonio, hoc est, non aliter quām vir bona obtinet in domum vxoris accepta. **A V D I E T D Y O D E C I I.**) Decius pater bello Latino se pro Republica deuouit. Filius eodem modo bello Gallico. Obire sponte voluerunt, ut suis acquirerent victoriā. Quo ritu quibūsve c̄remonijs celebretur ista deuotio, apud Liniū repertus. **C. M A R I V S.** Cicero pro Milone. Pudicitia cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu Caij Marij, propinquus eius Imperatoris, interfactus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quām perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus sciere solutum, periculo liberauit. Idem refert Valerius de milite Trebonio.

A V D I E T B R V T V S. Junius Brutus Tarquinios exegit, progenies eius M. & D. Bruti Cæsarem trucidarunt. Tandem redit in illud, Cedam vita. ac sperat illam æternam domum, & cælesti domiciliū, in quo beate viuere opinatur veteres Romanos. Si viuus ista mala, & istam miseram seruitutem subterfugere nō potero, vna cum ipsis vitam simul fugere decreui. Sensus est, Si retinere vitam cupiam, forte seruire cogar. Id si acciderit, & ista mala & istam vitam fugere de-

creui. Auguratus est augur, id quod nō ita multo pōst eueuit. Nesciū tam
præsens esse malum. Ista mala, non vitam fugere decreuerat. LICET IN exi-
guo hortulo multos legere flores indoctorum sensibus non iniucundos & in-
suaues. Pueritiae, cui ista ludimus, paucos, si placet, colligamus. LICITVM fui-
set, mollius in fine quam licuisset. Nomē, pro re quā nominatur, aut eius digni-
tate. Coram, aduerbum, quod & ad multos pertinet. Si licitum fuisse coram dis-
putare, fecissem, deterius erat, si licitum fuisse coram disputare, disputassem.
Remedia adhibere. Salutaria pro salubribus. Decernere, proprium Sena-
tus. Signa latius dicta quam vexilla. Castra promuntur. Conscriptæ legio-
nes, ut Patres Conscripti. Exteriae nationes. In præsentia. Cedo foro. Reui-
uisco. Non dubitanter. Deūm. Appello. Animus abhorret. Fortuna infesta. Ista
non dolere. Publicis in cōmodis mederi. Ordinar ab initio. Nouissima. Dies acer-
ba. Vir animi maximi. In primo gradu magnanimus. Dilapidabat pecunia, æra-
rium exhatiebat. Donare ex commentario. Dictatorem creari. Vindex liberta-
tis. Affectam Rempublicam. Deferre honores. Se aduersum, pro aduersum se.
Exercitu pulso. Sin autem. Beneficij sui, notanda reciprocatio. Arma inferre. Ex-
ercitum abducis. Aciem struis. Hostis loco. Longius castris. Propius urbem. Po-
pule. Præcipitem senectutem. Exacta ætate. Parricidium matris. Sibi manus af-
ferre. Partus aureus. Vastares incendio. Castra habere. Memoria propagare. Fa-
bulæ similia. Circumsesum. Cohæredem. Inclusum eo, ybi. Constituere iudicia.
Cruore & flamma delere. Sepultæ reliquiae. Igni casu latino. Ad stipulator. Pre-
carium quæstum fecit. Ad imperiū adiunctæ prouinciae. Conciliare opem. Cō-
sceleratum impudicitia. Aetate cōfectos. Ad rudem compulit. Miscere pro per-
turbare. Viueret sibi. Dorale matrimonii. Primo, pōst. Dare in seruitutem. Inter-
nuncius. Vitam fugere. Hæc & similis paranda verborum suppellex.

FINIS.